



**DN. DVRANDI|| à Sancto Portiano, in Senten=||tias
Theologicas Petri Lombardi|| Commentariorum libri||
quatuor.||**

Durandus <de Sancto Porciano>

Antverpiæ, 1567

Quæstio quarta. Vtrum sancti cognoscant orationes nostras, quas ad eos
dirigimus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72607](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72607)

Ceter. in
opul. de ces.
lib. missa.
g. a. scol.
quodlib. 10.
maior. 4.
di. 45.

seu consolationis quam habent omnes defuncti in charitate existentes de missa vel alio suffragio in quantum est bonum opus ipsius facientis & ad honorem Dei, sed non est æqualis valoris quantum ad effectum satisfactionis vel liberationis à pena: quia cum valor vnus misse finitus sit, impossibile est quòd pluribus distribuatur ita quòd quilibet habeat totum, sed oportet necessario quòd valor diuidatur in plures, ex quo pro pluribus fit, propter quod missa dicta pro pluribus non tantum prodest cuilibet sic ut si fieret pro ipso specialiter.

QVÆSTIO QVARTA.

Vtrum sancti cognoscant orationes nostras quas ad eos dirigimus.

Quarto queritur vtrum sancti cognoscant orationes nostras quas ad eos dirigimus. Et videtur quòd non, quia sancti perfectiores sunt in charitate quàm essent dum hic viuerent, sed quanto quis est in charitate perfectior, tanto magis subuenit proximo in necessitatibus suis, ergo si sancti cognoscerent necessitates nostras & defecus quos in oratione exprimus magis essent parati nobis subuenire quàm amici viuentes: hoc autem non experimur, ergo videtur quòd non cognoscant nostras orationes.

2. Item orationes nostras sunt quoad quod solum mentales, sed solus Deus nouit occulta cordium, ergo videtur quòd scitem tales orationes sancti non cognoscant.

3. Item super illud Esaię. 54. Abraham nesciunt nos, dicit glossa Augu. quòd mortui etiam sancti nesciunt quid agunt viuentes etiam eorum filii, nesciunt igitur orationes viuentium. Et idem videtur dicere Augu. in libro de cura pro mortuis agenda.

4. IN contrarium est quòd dicit Raphael Thobię. 12. Quando orabas cum lachrymis & sepeliebas mortuos ego obtuli orationem tuam domino.

5. Item si sancti orationes nostras nescirent, per consequens nescirent necessitates nostras, & ita pro eis amouendis non orarent, hoc autem falsum est & contra scripturam secundi Machabę. 15. vbi dicitur: Hic est qui multum orat pro populo & pro ciuitate sancta, Hieremias propheta. & 2. Petri. 1. ca. vbi dicitur: Dabo operam frequenter habere vos in memoriam post obitum meum, &c.

6. **R E S P O N S I O.** Circa cognitionem istam faciendā sunt duo. Primum est vtrum debeamus orationes nostras ad sanctos dirigere. Secundum est vtrum sancti illas orationes cognoscant.

7. **Q**uantum ad primum dicendum est quod conueniens est quòd orationes nostras dirigamus ad sanctos. Cuius ratio est, quia secundum Dionys. lex diuinitatis est infima per media ad suprema reducere, sed quantum ad dona gratiæ beati sunt media inter deum & viatores, ergo eis medianibus viatores debent reduci in deum, & quia illa reductio non est per actiones nostras coactas, sed libera quæ solæ sunt deo acceptæ vt remunerandæ pro beatitudine, ideo decet vt viatores vota sua & orationes dirigant ad sanctos, vt eis medianibus & sua intercessione tuantibus bonitas diuina refundatur in viatores. sunt autem sancti orandi à nobis non solum maiores sed etiam mediocres & minores propter quinq; rationes. Prima, quia aliquis quandoq; habet maiorem deuotionem ad minorem sanctum quàm ad maiorem, ex deuotione autem dependet effectus orationis. Secundò ad tollendum fastidium, quia assiduitas eiusdem rei fastidium parit: per hoc autem quòd alternatim diuersos sanctos oramus quasi in singulis nouus feruor deuotionis excitatur. Tertio, quia quibusdam sanctis datū est in aliquibus spiritualibus casibus patrocinari, vt sancto Antonio ad extinguendum ignem qui dicitur infernalis, & quibusdam aliis sanctis in aliis spiritualibus infirmitatibus. Quarto vt omnibus exhibeatur à nobis honor debitus. Quintò, quia orationibus plurium quandoq; impetratur quòd non impetraretur oratione vnus. Valet autem nobis sanctorum intercessio, quia quantumvis non sint in statu merendi nec pro se nec pro nobis proprie, sunt tamen in statu impetrandi aliquid nobis ex liberalitate eius quem orant. f. Dei cui sunt acceptissimi: unde non bene apparet quòd à sanctis aliquis valor redundet in nobis per modum satisfactionis, vel meriti proprie dicti, quia illa satisfactio

vel meritum non potest esse per opera quæ nunc faciunt dum sunt in beatitudine, quia nec sunt in statu merendi, nec faciunt opera pœnalia per quæ sola proprie fit satisfactio, vt visum est prius, nec illa satisfactio vel meritum potest esse per opera quæ fecerunt dum viuerent, quia opus bonum quod non transfertur per operantem in alterum dum actualiter operatur non est postea transferibile, quia iam translatum est in aliquem, puta in facientem, igitur opera quæ fecerunt sancti dum viuerent non possunt postea transferri in nos ita vt valeant nobis per modum meriti vel satisfactionis. Restat ergo vt orationes sanctorum solum nobis valeant per modum liberalis & gratæ impetrationis, & hoc modo nobis semper valent quotienscumq; orant pro nobis postulando simpliciter aliquid fieri pro nobis: quia cum voluntas eorum sit totaliter conformis voluntati diuinæ, nihil volunt fieri circa nos nisi quòd Deus vult fieri. Illud autem quòd Deus vult fieri voluntate consequente quæ est voluntas simpliciter semper fit. Nec tamen frustra orant pro nobis, licet non orent nisi illud quòd sciunt deum velle: quia sicut effectus naturales qui volente Deo eueniunt non eueniunt nisi mediantibus causis secundis, non propter inefficiam potentie diuinæ sed propter ordinem rebus diuinitus institutum, sic beneficia diuina descendunt in nos mediantibus beatis tam angelis quàm animabus sanctis non propter defectum diuinæ misericordie, sed propter ordinem diuinum considerandum quo Deus vult bonitatem suam communicare inferioribus per superiores. Et sic patet primum.

8. **Q**uantum ad secundum vtrum sancti cognoscant orationes nostras quas ad eos dirigimus, intelligendum est quod in beatis tam hominibus quàm angelis ponitur triplex cognitio. scilicet naturalis, beatifica, & quædam media quæ est reuelatoria. Si queratur de prima cognitione an per tales beati cognoscant orationes nostras. Dicendum est quod non, saltem animæ separatæ, quia de angelis dictum fuit in 2. libro. quid cognoscant de cogitationibus nostris, & hoc patet dupliciter. Primum, quia naturalis cognitio animæ separatæ, non est perfectior quàm naturalis cognitio eiusdem animæ coniunctæ, alioquin fugiendum esset animam vniri corpori si ex eius vnione ipsa efficeretur imperfectior, sed anima coniuncta corpori non cognoscit naturali cognitione cogitationes cordium, nec exteriora facta absentium, ergo similiter anima separatata non potest cognoscere cognitione naturali orationes nostras mentales, nec vocales viuorum absentium. Secundò, quia naturalis cognitio animæ separatæ, communis est bonis & malis, sed mali non cognoscunt, nec cogitationes, nec facta viuorum, sicut dicit beatus Greg. sumens argumentum de anima diuinitis epulonis quæ ignorabat statum & facta fratrum suorum, ergo nec animæ beatorum cognoscunt cognitione naturali facta vel cogitata viuentium. Si autem queratur, an beati, cognitione beata cognoscant orationes nostras mentales vel vocales. Dicendum est quòd non, quia illa quæ quandoq; cognoscuntur & quandoq; non, non pertinent ad cognitionem beatam, sed cognitio si quam habent beati de orationibus nostris mentalibus vel vocalibus non semper est in eis, quia antequam oremus eas non præcognoscunt, nec aliquis ponit quòd talis cognitio sit semper in eis: quia si cognitio talium esset semper in eis eadē ratione & cognitio omnium aliorum particularium contingentium, & sic non indigerent quòd aliquid eis reuelaretur quòd falsum est, cum angeli qui non sunt animabus inferiores per reuelationem purgantur à nescientia multarum rerum, vt patet per Dionysium. 6. cap. celest. Hierar. ergo talis cognitio non est beata, minor iam patet, sed maior probatur: quia cognitio beata est vna cognitio semper manens & respectu vnus principalis obiecti semper eodē modo se habetis, & ideo impossibile est quòd per eam aliquid de nouo cognoscatur nisi sit aliqua mutatio in obiecto re præsentante, vel in ipsa operatione vel in vtroq;. Constat autem quòd in obiecto nulla potest esse mutatio, nec in actione quin sit alia secundum numerum, nisi forte secundum intentionem mutaretur: in simplicibus enim formis non inuenitur aliquod genus mutationis, mutatio autem secundum intentionem non est in beatitudine, alioquin beatitudo essentialiter augeretur quòd nullus ponit, & si esset non sufficeret ad hoc quòd aliquid de nouo cognoscere

ceretur, sed solum ad hoc quod prius cognitum intensius cognosceretur. Restat ergo quod in actione beata non est mutatio nisi sit alia secundum numerum, & sic non esset eadem beatitudo qua semper aliquis esset beatus, quod est inconueniens. Relinquitur ergo quod ea que non semper cognoscuntur a beatis non cognoscuntur cognitione beata, & hæc fuit maior. Minor autem declarata est, sequitur ergo conclusio. Si autem loquamur de cognitione reuelationis, sic dicendum est quod omnes beati cognoscunt nostras orationes siue mentales siue vocales que ad eos diriguntur: quia secundum beatum Aug. & habetur in litera dist. 49. ad beatitudinem requiritur quod unusquisque habeat recta voluntate vult cognoscere ea que ad ipsum pertinent, & ideo beati quibus nulla reusitudo deest volunt cognoscere ea que ad ipsos pertinent & cognoscunt, sed orationes quas ad eos dirigimus eo ipso ad ipsos pertinent tanquam ad mediatores inter nos & Deum, ergo beati illas orationes cognoscunt, & cum hoc non sit cognitio naturalis vel beata, ut probatum est, relinquitur ergo quod hoc sit cognitio reuelatoria que pertinet ad beatitudinem accidentalem.

9 AD primum arg. dicendum est quod quanuis sancti sint in maxima charitate, habent tamen voluntatem suam plenarie conformem voluntati diuine, propter quod quanuis habeant affectum charitatis ad uiuentes, tamen non eis auxiliantur nisi secundum quod vident in Dei scientia & voluntate esse dispositum: frequenter tamen auxilium ferunt uiuentibus sua intercessione apud Deum quanuis nos laeant.

10 Ad secundum dicendum quod cogitationes cordium solus Deus nouit per seipsum: sed beati nouerunt quatenus eis diuinitus reuelantur.

11 Ad tertium dicendum quod Aug. loquitur de cognitione naturali per quam mortui nesciunt facta uiuentium, & multo minus cogitata, beati tamen talia cognoscunt quando ad eos diriguntur, & si non cognitione naturali vel beata, cognitione tamen reuelationis ea cognoscunt. Abraham autem de quo loquitur beatus Aug. & ex quo sumit argumentum non erat beatus quando illa verba dicta fuerunt per Esaiam: cum ante passionem Christi nullus ad beatitudinem admittis fuerit.

Sententia huius distinctionis. XLVI.
in generali & speciali.

Sed queritur hic. In precedentibus determinatum est de statu animarum ante iudicium, hic determinat consequenter de pertinentibus ad iudicium. Et primo intendit determinare diuine iustitie & misericordie modum. Et diuiditur in duas. Primo enim determinat de iustitia & misericordia diuina quantum ad damnatos. Secundo quantum ad omnes in vniuersali ibi, sed quomodo iustitiam. Prima remanet indiuisa. Sed secunda diuiditur in duas. Primo enim comparat eas ad inuicem. Secundo respectu operum diuinorum. Prima ibi, Dei iustitiam. Secunda ibi, Post hoc considerari oportet.

1 Proponit ergo Magister quandam questionem, vtrum circa damnatos sit aliqua Dei misericordia. Et opponit quod non per multas autoritates. Deinde subdit penas damnatorum nunquam finiendas. Deinde ponit quod circa damnatos est misericordia in pena mitigatione, non tamen in totali relaxatione nec in occulta peccatoris reuocatione. Deinde querit quomodo in omni opere diuino concurrat misericordia & bonitas. Et respondet quod hoc ideo dicitur, quod cum sit duplex aduentus Christi, vnus misericordiam alius iustitiam recipit, vel hoc pro tanto dicitur quo ad deum minus mala declinando per iustitiam & bona opera per misericordiam faciendo: vel in primo aduentu est misericordia in secundo erit iustitia. In fine ponit duas opiniones circa hoc, &c.

QUESTIO PRIMA.

Vtrum iustitia sit in Deo.

Circa distinctionem istam primo queritur, vtrum iustitia sit in Deo. Et videtur quod non: quia illud quod non est bonum nisi ut medicina non est bonum simpliciter nec in Deo ponendum, sed iustitia saltem vindicativa

non est bona nisi ut medicina, ergo talis non est in Deo ponenda. Maior patet, quia quicquid est in Deo formaliter, videtur dicere bonum & perfectionem simpliciter: quod autem est bonum solum ut medicina non est bonum nisi secundum quid & propter aliud. Minor probatur quod pena que infligit iustitia vindicativa sunt medicine respectu peccatorum, sicut dicitur. 2. Ethicorum.

2 Item ridiculum est laudare Deum secundum aliquam virtutem moralem, siue secundum actus virtutum moralium, ut dicitur. 10. Ethicorum, sed iustitia est virtus moralis, ergo non est Deo attribuenda. Et confirmatur, quia temperantia que diuiditur contra iustitiam non est attribuenda Deo.

3 Item dominus ad seruum non est proprie iustitia, ut dicitur. 3. Ethic. sed Deus comparatur ad creaturam sicut dominus ad seruum, ergo Dei ad creaturam non est aliqua iustitia: contra: autem quod non est aliqua iustitia Dei ad seipsum, cum iustitia semper sit ad alterum, ergo &c.

4 IN contrarium est scriptura in quamplurimis locis que Deo iustitiam attribuit. Et arguitur per rationem: quia illud quod est nobilissimum est deo attribuendum, sed iustitia est nobilissima & preclarissima omnium virtutum, ut dicitur. 3. Ethic. ergo est Deo attribuenda.

5 **R**ESPONSIO. Circa questionem istam primo videndum est in quo consistit ratio iustitie, & quomodo dicitur. Et secundo apparebit quod queritur, scilicet per quem modum iustitia sit Deo attribuenda.

6 Quantum ad primum sciendum est (ut dicitur. 3. Ethic.) quod iustitia proprie dicta constituit equalitatem in accipionibus & dationibus, hoc autem fit dupliciter. Vno modo secundum quod constituitur equalitas inter dante & accipientem, ut scilicet accipiens tantum accipiat a dante quantum e conuerso, & in tali equalitate consistit iustitia commutativa que ponit medium equalitatis in emptionibus & venditionibus, & in omnibus retributionibus. Alio modo constituitur equalitas inter duos recipientes, ex hoc quod vterque equaliter recipit a tertio secundum quod dignus est, & in hoc consistit iustitia distributiva. In prima ergo iustitia, scilicet commutativa requiritur equalitas quantitatis, ut scilicet tantum quisque accipiat secundum valorem quantum dedit, & ideo inter illos quos non potest esse equalitas quantitatis in datis & acceptis non potest esse iustitia proprie dicta, sicut est inter illos quorum vnus non potest reddere aliquid equalens beneficiis acceptis ab alio: sicut filius non potest reddere aliquid equalens beneficiis patris a quo accepit esse nutrium & eruditionem, propter quod quantumcumque filius retribuit patri in obsequio, nunquam est ibi perfecta equalitas, propter quod non soluitur ibi proprie ratio commutative iustitie, sed tantum aliquis modus in quantum filius retribuit quod potest secundum modum suum, sicut pater dedit secundum modum suum, vel loco equalis secundum quantitatem sumatur possibile & proportionale.

7 Sed iustitia distributiva non requirit equalitatem quantitatis, sed proportionem: non enim oportet quod distribuens bona communiter distribuatur equaliter omnibus, sed vnicuique proportionabiliter secundum quod est dignus, ex quo apparet quod iustitia distributiva per quam bona communia distribuuntur primo attendit ad proportionem personarum ex qua concludit proportionem rerum distribuendarum. Sed commutativa iustitia e contrario primo respicit ad habitudinem rei ad rem, sicut patet in commutationibus, puta in emptione & venditione, vel ad habitudinem actionis ad passionem ut in iniuriis vindicandis & puniendis, ad conditionem autem personarum nunquam principaliter respicit: non enim bos debet magis vel minus vendi vni quam alii, si autem respiciat conditionem personarum hoc non est nisi ex consequenti in quantum conditio personarum facit aliquid ad quantitatem rei vel iniurie, sicut maior est iniuria si percutiatur princeps quam aliqua alia priuata persona. Et videtur saluo meliori iudicio quod iustitia distributiva magis debeat ex commutativa quam e conuerso: quia iustitia distributiva est in distribuente per quam tenetur bona communiter distribuere proportionabiliter personis communiter secundum vnusquisque dignitatem. Hec autem sententia oritur habet ex hoc quod ipse obligatus est communitati habet ex communitate